

petechiales rubrae, petechiales purpureae,
morbillosae, variolosae.

724. De tribus posterioribus seorsum tra-
ctari solet: de tribus primis autem facile
diagnosis & prognosis formari queunt.

725. Curatio difficilis non est, quum ra-
ro quidquam requirant, nisi ut satis larga
levis liquidi copia mobilis servetur mate-
ries, atque vis vitae in justo moderamine
perseveret assiduo; tum enim brevi cum
desquamatione epidermidis abeunt.

726. Reliqua febris symptomata his si-
milia & agnata, vel ut morbi ipsi curari
postulant.

727. Hinc patet, quid sentiendum de fe-
brum acutarum varietate; nam quae mo-
tum febrilem semel excitatum uno impetu
ad finem producunt, Continuas vocamus;
quae per vices impetum remittunt, & de-
nuo excitant, ut semper duret febris, con-
tinuas remittentes; quae per vices impe-
tum remittunt, ut plena $\alpha n u g e \xi a$ inter duos
quosque paroxismos intercedat, vocantur
intermittentes.

F E B R I S C O N T I N U A .

728. Continuarum simplicissima Eph-
mera, seu diaria, spatio 24. ho-
garum initia, incrementa, statum, decli-
natio-

nationem absolvens. Causas agnoscit solum motum vehementiorem, peccato sex rerum non naturalium ortum; vix ullam materiam. Cognoscitur: a causa levi; corpore puro; symptomatibus levibus; crisi cito; pulsu mox a febris exitu plane restituto. Curatio facilis, abstinentia, quiete, dilutione.

729. Si protrahitur dicta febris (728) per plures dies, vocatur Continua non putris; causae, signa, medela eadem; maxime venae sectione larga, & refrigerantibus, eget.

FEBRIS CONTINUA PUTRIDA,

730. Synochus putris dicta fuit, quae debetur causis inflammatione simplici majoribus, viscerum obstructioni, cutis oppilationi, & capillarium fere omnium, acrimoniae vero acutiori, saepe prorsus singulari.

731. Cognoscitur calore digitum tangentem quasi pungente, pulsu febrili, sed & inaequali, & non ordinato, urina crassa, rubra, turbida, cruda sine sedimento, temperie, aetate, habitu, calidis, sanguinolentisque.

732. Haec Homotonos, Epacmaistica, seu Anabatica, vel Paracmaistica.

Aphor.

L

733.